

Wilhelm Michalski

Isaias 2, 2-5 et Michaeas 4, 1-5

Collectanea Theologica 13/1-2, 90-110

1932

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

ISAIAS 2, 2—5 ET MICHAELAS 4, 1—5.

Duplex habetur recensio notissimae pericopae de monte Domini super omnes colles eminenti et de templo Domini, in quod omnes gentes pergunt, ut edoceantur a verbo Domini, quod est arbiter, legifer et pacis auctor inter populos in diebus novissimis. Sensus pericopae est quidem omnino clarus, textus autem multum differt in duobus recensionibus Isaiae et Michaelaeae. Agitur, quatenus recensio sit authentica, ubinam reponenda sit in Scriptura Sacra: num in Isaia propheta vel in Michaelaeae; quis sit auctor illius pericopae? Quaestiones hae varie solvuntur, nec auctor illius est certe notus, neque constat, quoniam contextu pericopa illa sit inserenda.

In Isaia propheta pericopa illa neque cum praecedentibus neque cum sequentibus partibus nequitur. Non est in ullo nexu grammaticali et logico cum titulo Is 2, 1. Si comparantur diversi loci paralleli in Isaia et aliis prophetis patet, formula: „*wehaja be'aharit hajjamim*“ est forma indicans tempus futurum, et quidem tempus ultimum epochae messianicae; *be'aharit hajjamim* in partibus prophetis designat ultimum tempus historiae humanae, epocham messianicam in eius ulteriori evolutione Jer. 23, 20; 30, 24. 48, 47; 49, 39.

Ante *wehaja* necessario requiritur alia aliqua propheta, quam sequeretur nuntius „et erit in novissimis diebus“. Immediate post titulum sequitur semper in stilo prophetico aliquod dictum propheticum directe ad auditores pronunciatum cf. Is 1, 1—2; 13, 1—2; 15, 1 et cf. Mi 1, 1—2; Joel 1, 1—2 Si adhibetur forma analogica uti Is 17, 1, ante *wehajeta* ponitur alia sententia, qua illud *wehaja* cum titulo nequitur.

Pericopae Is 1, 1—12, 6 non sunt traditae eo ordine, quo erant originaliter dispositae. Probabile est, quod titulo Is 1 primitus

nectebatur 6, 1—9, 6 et Is 2, 6—5, 24; 10, 1—4, qui sermones et narrationes describunt ea, quae tempore 736—732 ante Chr. natum facta sunt. Haec collectio ipsi Isaiiae a criticis attribuitur. Cum vero Is 1, 2—31 contineat sermones et oracula, quae praecipuas ideas Isaiiae exhibent, ut quaedam synthesis idearum Isaiiae in unum collecta sunt et immediate titulq̄ adiuncta aliquo tempore posteriore, quo evenit, ut titulus cap 2, 1 repeti debuerit; ideo etiam, quod huic titulo addita est pericopa eschatologica Is 2, 2—5; eius autem artificiosa coniunctio cum Is 2, 1 illico patet, nam expressio *wehaja* videtur referri ad *wehaja*, quae habetur Is 1, 31, ergo in versu, qui est separatus ab Is 2, 2 per titulum repetitum Is 2, 1. Etiam alia sunt quae demonstrant phrasin *wehaja be'aharit hajjamim* nullo nexu grammaticali et logico cohaerere cum Is 2, 1, nempe: loco *hazon* Is 1, 1, quod refertur ad visionem (*hazon* visionem significat) Is 6, 1—13, ponitur Is 2, 1 *debar ješajahu*, ergo *dabar* = verbum est illud *dabar*, quod habetur Is 2, 2—5; proprie *dabar* est illa visio, quam vidit propheta auctor Is 2, 2—5, nam ea quae sequuntur Is 2, 6—21; 3, 1—15; 3, 16—4, 1; 4, 2—6; 5, 1—7; 5, 8—20; 10, 1—4 non sunt unum verbum, sed sunt sermones plurimi; ergo deberetur haberi in titulo Is 2, 1 ut legitur Os 1, 1; Amos 1, 1 *dibre* verba et non *dabar*. Verum equidem est, Mich 1, 1 et Joel 1, 1 legitur in titulo *debar*, sed cum addito: Jahve, „verbum Jahve, quod factum est ad Michaeam, loel“ etc. Ergo *dabar* = verbum, quod vidit Isaias, est solum illud verbum Is 2, 2—5.

Item secundo *wehaja be'aharit hajjamim* non nectitur cum titulo Is 2, 1, nam ante *wehaja*, quod semper est consequens alicuius oraculi antecedentis, ut supra monitum fuerit, aliqua verba exciderunt (vide Is 17, 1); si necteretur titulo, legi deberet ut Jeremias 1, 2. 3 *wajjehi*, ergo *wehaja* Is 2, 2 nectitur cum Is 1, 31, quod manifeste probat Is 2, 2—5 esse posterius additum, et revisor non attendit, quod grammatice et logice sit aliquid dissonum inter versum 1, 31 et 2, 2.

Is 2, 6—4, 6 non nectitur neque grammatice neque logice cum Is 2, 2—5. Sermones Isaianae incipiunt alio modo, quam verba Amos, qui certe erat typus et exemplar eloquiorum Isaiiae tempore Achaz munus propheticum agentis. Sermones Isaiiae incipiunt sine ulla introductione, ita Is 2, 6 incipit a particula *ki* = „immo, equidem“, ita ut v. g. etiam 3, 1 et 15, 1. Illud *ki* probat

manifeste, inter Is 2, 2—5 aliquid deesse, quod est causa illius particulae „quia“ vel „immo, equidem“. Quod Is 2, 2—5 non est verbum Isaiæ originale, sed aliunde citatum, apparet ex diversitate, quae adest inter recensionem Michæae et recensionem Isaiæ. Si inspicitur versio graeca Septuaginta Interpretum, patet clare textum massoreticum Isaiæ corruptum esse multis in locis, quae corruptiones sensum mutant in pluribus stichis, sed corruptiones illae facile corrigi possunt ope recensionis Michæae et Versionis Graecae.

Textus in translatione litterali prae oculis lectoris est ponendus cum indicationibus eorum, quae corrigenda sunt respectu habito lectionum diversarum, quae habentur in Michæa et Versione Graeca. Quae in textu sunt mutata, apicibus notantur:

- Is 2, 2 Mich 4, 1 Et erit in novissimis diebus:
 Mons 'Domini et domus Dei'
 'splendescet' in vertice montium,
 et super omnes colles eminebit;
 et 'ob id' 'populi' felices irradiabunt,
 et gentes multae '...' et dicent:
- Is 2, 3 Mich 4, 2 Ite, ascendamus in montem Domini,
 et in Domum Dei Iacob,
 qui nos de viis suis edoceat,
 ut nobis in semitis eius ire liceat;
 etenim de Sion lex egreditur,
 et Verbum Domini de Ierusalem!
- Is 2, 4 Mich 4, 3 Et iudicabit inter 'populos multos'
 et arguet 'gentes fortes de longe',
 ut gladios suos in vomeres concidant,
 et lanceas suas in falces;
 ne gens in gentem gladium vertat,
 ne ad pugnandum sese exercent!

Concedendum est, quod textus Michæae est in genere multo antiquior et correctior quam recensio Isaiæ, Michæas habet adhuc unum versum, qui nequitur cum illa pericopa, et qui deest in Isaia, sed qui est certe authenticus. In Michæa nexus cum contextu est strictior, etsi non satisfacit in omnibus. Repetuntur in contextu Michæae verba *ammim rabbim* et analogae 4, 11, 13; 5, 6, 7. Posset

proinde admitti oraculum esse Michaeae, nisi alia obsessent (Cf. Cornill: Einleitung in das Alte Testament, 1896 p. 146).

Is 2, 2c—3a: *naharu* ab omnibus consideratur ut denominativum a nomine *nahar* flumen, unde interpretatur: „fluent“; esset proinde verbum hoc hapax legomenon. In aliis locis Librorum Sacrorum *naharu* significat = „irradiabunt“, id est = felices eorum facies irradiabunt; cf. Is 60, 5 et ps 33 (34), 6. Certe Is 60, 1—5 est locus analogus et parallelus cum Is 2, 2—3. Habemus in isto sermone Isaiiae probabiliter fontem imaginum, quae hic sunt usitatae. Isaias in visione capitis 60 invitat filiam Sion in exilio tabescentem, ut surgat: venit enim iam lumen, et gloria Domini orta est. Dum enim tenebrae et umbrae terram et populos obsidenti super Sion, Dominus et gloria eius oriuntur. Itaque gentes et reges pergunt ad lumen hoc, ad ortum eius splendoris. Tum quoque videbit Sion et irradiabit felix prae gaudio. Itaque verbum *haleku* Is 2, 3a et Mich 4, 2a est delendum; nam supposito, quod *haleku* est originale et authenticum, haberetur contradictio inter versum Is 2, 2e + 3a (Mich 4, 1e + 2a) et Is 2, 3bc (Mich 4, 2bc). Si gentes iam fluerent et irent in Sion, non esset logicum dicere, quod dicant ad invicem: „ite ascendamus in montem Domini“; proinde manifeste apparet, verbum *naharu* non significat hic „fluere“, sed ut Is 60, 5 et ps 34, 6 prae gaudio radiare in facie. Vertendum ergo est, ut monet Budde: Isaias 1—5 (Zeitschrift J. Alt. Wissenschaft 1931 p. 186):

Et irradiabunt felices ob id populi
et gentes multae et dicent:
eamus et ascendamus in montem Domini,
et in domum Dei Iacob.

Verbum igitur *haleku* versu Is 2, 3a (Mich 4, 2a) est delendum, nam est introductum ut parallelum verbi *naharu* stichi antecedentis. Ex his etiam patet corrigendum esse in versu antecedenti „Mons Domini et domus Dei“, ut habetur versu Is 2, 3bc; et etiam in versu Is 2, 2c legendum est loco *nakon jihje* aliquod verbum, quo factum est, ut facies populorum irradiarent, uti patet ex comparatione cum Is 60, 1—5. Insimul etiam apparet, Is 60, 1—5 esse antiquiorem loco Is 2, 2—3; nam certe auctor Is 2, 2—3 ex Is 60, 1—5 hauriebat illas metaphoras, quas hic tam breviter et quidem etiam minus luculenter quam Is 60, 1—5 adhibet. Verbo

igitur graeco *ἐμφανές*, quod correspondet in Is 2, 2 verbo *nakon jihje* respondet verbum *jophia* nam in Scriptura *ἐμφανές* est versio hebraici *hophia* cf. ps 80, 2 (graecus 79, 2). Item Ben Sirach 24, 32 *hophia* correspondebat graeco *ἐμφανειν*, etsi exemplar hebraicum in hoc capite Ecclesiastici deest. Forte etiam loco *nissa' min* legendum est „*nissa' me'al*“ nam semper graeco *ὄπερᾶνω* correspondet hebraicum *'al* vel *me'al*. Certe omitti debet verbum „omnes“ in Is 2, 2; nam esset contradictio cum versu Is 2, 3, ubi legimus de „multis“. Michaeae lectio *ammim* sine articulo est proinde originalis loco *kol haggioim*; ergo gentes quidem multae, non paucae, splendore domus Dei irradiatae pergere statuunt in Sion. Proinde etiam versu sequenti loco *ammim rabbim* legendum est ac est in Michaeae *gaim rabbim*.

Is 2, 3b etc. omnino concordant in versionibus. Facile cognoscitur, cur sententiae: „ite, ascendamus in montem Domini et in domum Dei Iacob, ut edoceat nos in viis suis et ut ambulemus in semitis eius; de Sion enim lex egreditur, et Verbum Domini de Ierusalem“ incorrupte conservatae sunt, sunt enim optime clarae ita, ut nulla varietas effici potuerit. Versus: „ascendamus in montem Domini et in domum Dei Iacob“ manifeste probant, quod iam versio graeca Is 2, 2 habet, lectionem: „mons domus Domini“ esse corruptionem textualem ex: mons Domini et domus Dei Iacob radiabant ita, ut viderentur undique non solum ideo, quod mons Domini et domus Dei super omnes colles eminent. Equidem verum est domum Dei in monte Domini exstructam facile eminuisse super colles, quae undique Ierusalem circumdant et quae sunt excelsiores quam colles, super quos Ierusalem aedificatur. Sed „mons Domini et domus Dei“, in illo aedificata ubique ex splendore et gloria, qua radiabat, cognosci potuit.

Multum etiam differunt versus Is 2, 4ab a Mich 4, 3ab; legendum est: *ben ammim rabbim* loco *ben haggioim* Isaiae, etiam loco *le'ammim* legatur ac est in Mich *legoim 'a'cumim ad-rahamq.* Verbum Dei erit arbiter inter multos populos, i. e. inter eos, qui ad montem Dei undique ascendent. Verbum Domini suum iudicium exercebit in gentes fortissimas et remotissimas a Ierusalem. Stichi illi affirmant in temporibus ultimis messianicis Sion, ex quo doctrina et verbum Domini in universum orbem terrarum splendeat, futuram esse civitatem, in qua gentes multae etiam

fortissimae et maxime remotae ea omnia, quae ad pacem sunt, inventurae essent, ita ut Verbo Domini edoctae et simul vinculis pacis et concordiae iunctae iam non necesse habebant sese bello defendere; sed unicum concordiae iunctae et pacis munimen futurum erit obedientem esse debere Verbo Divino.

Quae sequuntur in Is 2, 5, nil est aliud nisi invitatio ad lectorem directa, ut ambulet in lumine Domini: Domus Iacob venite, eamus in lumine Domini; cf. Is 60, 1—5. In versibus 2, 2—3 expresse dicitur montem et domum Dei a Iacob possideri. Multi vero populi in Sion oculos intentos habent et ad domum Dei Iacob gressus suos dirigunt, ubi legem et doctrinam accipiant. In versu Is 2, 5 domus Iacob quam longissime abest a lumine illo, qui ex monte Domini et domo Divina affulget. Certe versus ille non est authenticus neque Isaianus, ut patet ex 60, 1—5, nihil est aliud, nisi quaedam admonitio et paraphrasis ex versu 2 et 3 desumpta. Mich 4, 4 etiam probat versum Is 2, 5 esse glossam posteriorem revisoris, nam habetur hic quid aliud:

Mich 4, 4 Et habitabunt unusquisque sub vinea sua
et sub ficu sua et non erit, qui terreat!
Sic os Domini Sabaot locutum est!

Michaeas annuntiat consequentiam pacis et concordiae, quae inter multos populos fortissimos et remotissimos regnat, fore pro Israelitis prosperitatem et securitatem eandem, quae erat tempore pacifici et gloriosi regiminis Salomonis 1 Reg 5, 5 (3 Reg 4, 25) et quae promittitur pro tempore, quo auferentur sordidae vestes a summo pontifice et principe synagogae postexilicae (Zach 3, 10). Propheta praenuntiat, tum demum et prosperitatem adfuturam esse in terra, cum populi et gentes multae se concilientur sub auctoritate et oboedientia Verbi Divini in Sion regnantis. Cum omnia, quae bello et violentiae inferendae serviebant, amota fuerint, tum demum prosperitatem, cuius typus erat pax et prosperitas regni Salomonici, adventuram esse praenuntiat.

Ex his, quae dicta, sunt sequitur textum Isaias non esse in suo loco authentico et esse corruptiorem a textu Michaeae. Quaeritur igitur, num etiam in Michaea pericope illa sit in suo originali contextu. Quae antecedunt capite tertio verba Michaeae tractant de sorte turpissima templi et civitatis sanctae ob peccata maxima

idololatriae et falsae religionis, quae habitatores Iudaeae tempore Michaeae perpetrarunt. Propheta ob ea peccata gravissimas annuntiat populo poenas illis verbis:

Audite haec principes domus Iacob, et consules domus Israel,
 qui iudicium contemnitis et ea quae recta sunt contorquetis!
 Qui aedificatis Sion in perversione!
 Principes eius pro mercede iudicant,
 et sacerdotes eius pro accepto dono docent,
 et prophetae eius pro pecunia vaticinantur,
 et ad Dominum prospiciunt et dicunt:
 numquid non est Dominus in medio nostri?
 non veniet super nos ullum malum!
 Propterea vestri causa Sion ut ager arabitur,
 et Ierusalem in ruinae cumulum erit,
 et mons domus in collem silvae mutabitur! (Mich 3, 9—12).

Dici potest adesse nexum formalem et litteralem inter pericopen de monte et domo Dei, ad quem multi populi fluunt, et illud vaticinium Michaeae. Nam Sion est obiectum primarium in utroque sermone Mich 3, 10 12.

Utrobiquè agitur praecipue de monte Dei et eius domo sancta. Est etiam mentio domus Iacob, ut Mich 4, 2; Is 2, 3 5. Sed in visione eschatologica agitur solummodo de Iacob et non de Iacob et Israel uti Mich 3, 9. Visio eschatologica est sita tempore regni messianici, hic agitur de tempore, quod praecedet epocham Messianicam. Ibi mons Dei et templum splendet splendore magno, hic vero est descripta ruina civitatis sanctae et propheta videt silvarum collem, ubi erat mons domus Dei. Praecipue vero illud *wehaja be'aharit hajjamim* in nullo est nexu cum sententia 3, 12, *laken* semper in stilo prophetico introducit partes comminatorias sermonis prophetici Scripturae Sacrae, *wehaja* autem aliud quid dicit; introducit vaticinium promissorium, non comminatorium, supponit igitur aliam aliquam prophetiam consolatoriam, non est consequens illius *laken* praecedentis versus. Si autem considerantur ea, quae in Michaea immediate sequuntur, non est dubium, quin visio eschatologica ex aliis motivis fuerit hic iniuncta. Versus Mich 4, 5 immediate sequens oraculum est reflexio visioni eschatologicae addita:

Si omnes populi in nomine Dei sui ambulant,
nobis vero ambulare in nomine Domini Dei nostri oportet
in saeculum et in aevum.

Qui sequuntur versus, sunt iam oraculum distinctum ab antecedenti. Sermo Mich 4, 7—13 promissorius finitur versu 14 (Vulgata 5, 1), quo enuntiatur proximo tempore adventura esse quam maestissima:

Nunc vastaberis filia vastatoris!
Vallem circum nos posuit,
virga percusserunt maxillam
Ducis Israelis!

In oraculo 4, 6—13 propheta consolatur, quod ipse Dominus in die illa, quando miserebitur Sioni, ea, quae erant infirma et dispersa, in unum congregabit, Iudaeam restituet in gentem robustam *legoj 'ačum*. Dominus ipse erit rex in monte Sion in aeternum (v6—7). Et Sion facta est turris pastorum, erit caput regni (8). Propheta interea videt dolorem et planctum eius super rege perduto et dolet ob id, quod Sion ex civitate expulsa in agro residet et in Babyloniam vadit, ut ibi auxilium et salutem inveniat. In Babylone vero Dominus salvam faciet eam de manu hostium (9—10). Nunc quidem multae gentes gaudent dicentes: vastetur Sion et videt hoc oculus noster (11). Cogitatio haec non est Dei cogitatio, nam veniet tempus, quo Sion cornu ferreo triturrabit gentes, quasi acervum in area (12—13). Sermo ille promissorius finitur autem comminatione: Ierusalem, filiam vastatoris, vastatam et circumdatam iri vallo, eius iudicem vapulatum iri virga in maxilla.

Clare patet, cur hoc in contextu inserta sit pericope de monte et templo splendente et attrahente sua claritate omnes gentes et fortissimas et in longinquo positas. Uti saepe accidit in Scriptura, sermones, cantici in psalterio et prophetica oracula diversissima ideo connecta sunt, quod quaedam expressiones vel phrases repetantur.

Hoc quoque hic accidit; etsi quoad argumentum et subiectum pericopa loquens de monte Dei sit diversissima ab iis, quae antecedunt, tamen repetuntur verba: Sion, mons Domini, multi populi, sed est diversitas: subiectum agens non est Deus, sed Verbum et Lex Dei; iam illae hypostases sunt signum temporis posterioris. In Michaea et Isaia est sermo de populo Israelitico restituendo in grandem nationem. In Isaia et Michaea rex et principes magnam partem

habent in repraesentanda natione Israelitica, hic vero natio Israelitica disparet, quod obiectum visionis est mons Sion et templum.

Hae locutiones propriae sunt temporis postexilici, quando civitas sancta et templum Dei repraesentabant synagogam iudaicam, viventem sub tutela domus Dei et civitatis sanctae; reges enim illius temporis erant Persae, Seleucidae vel Ptolomaei. In oraculo hoc populus iudaicus non consideratur ut natio magna et fortis, eius vis et valor est Verbum Domini et *Tora* = doctrina revelata.

Haec omnia sufficiunt, ut affirmari possit pericopem illam tam in Michaea quam in Isaia membrum esse omnino alienum proximo contextui, neque congruere cum genere litterario horum prophetarum. Si ergo haec omnia respiciantur: introductio abrupta *wehaja* et relatio pericopes in ulterius tempus epochae messianicae, ubi iam disparet natio iudaica qua gens et stirps, quod nomen „Israel“ non exprimitur, solum sermo est de domo Dei Iacob, et illud, quod *wehaja* immediate sine ullo transitu nequitur cum comminatione in urbem Ierusalem et in templum Dei, pro certo concludi potest pericopen de monte Dei, fulgore et splendore suo omnes populos ad se attrahente, esse quid alienum a forma locutionis Isaiae et Michaeae. Multa ergo adsunt indicamenta, quae indicant visionem hanc splendissimam ex alio contextu decursu temporis his in locis fuisse insertam.

Sed ubinam in Scriptura ei locus assignari debet?

Pro certo affirmari potest recensionem Michaeanam esse ratione textus antiquiorem quam Isaianam; etenim textus Michaeae est melior, corruptiones texticae, si quae sunt, in uno versu (Mich 4, 1) inveniuntur. In Isaia duodecim in locis textus est mutatus, in Michaea solummodo tribus in locis quaedam mutanda sunt, et textus Michaeae manifeste demonstrat revisorem eius adhuc non novisse conjugationem periphrasticam *nakon jihje*, cum illud *nakon* ut glossam explicativam consideret, reiciendo *nakon* post verba: mons Domini. Versio Septuaginta *nakon* coniungit cum phrasi sequenti: in vertice montium.

Glossam *nakon* interpres graecus Isaiae non videtur habuisse. Ergo patet tempore antiquiore in librum Michaeae pericopen illam esse additam, posterius vero cum iam textus pericopae multum difformis factus esset, in librum Isaiae fuisse insertam. In libro Jeremiae 26, 18 legimus: Jeremiam prophetam, ob oraculum contra domum Dei prolatum capite damnatum esse a principibus sacer-

dotum. Principes populi Jer 26, 18 citantes prophetiam Michaeae affirmabant Jeremiam non esse reum mortis, cum iam Michaeas propheta similem comminationem et quidem graviolem contra templum Dei protulisset, praenuntiando montem Dei ut agrum aratum iri et urbem sanctam tumulum ruinarum futuram et collem domus Dei silvestribus arbustis obsitam fore; attamen non est damnatus Michaeas ab Ezechia, rege pio. Propterea Jeremias est absolutus a crimine capitis. Videtur igitur tempore Jeremiae in libro Michaeae pericopen de monte et templo Dei in vertice montium fulgenti adhuc defuisse, nam si re vera iam esset in textu Michaeae, sacerdotes damnantes Jeremiam crimine capitali respondissent principibus innocentiam Jeremiae demonstrantibus: Michaeam non esse ideo damnatum, cum prophetiam consolatricem verbo suo comminatorio contra templum Dei adiunxisset, simili modo ac prophetiae de expugnatione Jerusalem et despectione regis (4, 14) illam de restitutione nationis iudaicae addidisset (6, 13). Si talis responsio ex parte sacerdotum Jeremiam condemnantium deest, probabiliter tempore Jeremiae in textu Michaeano pericopa de monte et domus Dei defuisse videtur.

Ubinam autem sit eius locus proprius, quaeritur. Sunt duo textus in Scriptura sacra, ubi eius locus assignari potest.

In Zacharia c. 14.

Prophetia Zachariae, quae tota est in annuntianda proxima restitutione urbis sanctae, templi Dei et prosperitatis novae Ierusalem (cf. praecipue cap. 8, 3 4 5 9—15). In ultimo capite 14 iterum atque iterum praedicat Zacharias, quae eveniant novae Ierusalem, annuntiat adventum diei Domini, quo dividat spolia in medio Ierusalem (14, 1) et bellum faciet Dominus adversus omnes gentes (2—3) et faciet prodigia ad salvandos habitatores Ierusalem (4—5), Ierusalem et tota regio circa urbem fluminibus aquarum irrigabitur, urbs in toto suo circuito reaedificabitur, in qua habitabunt incolae eius in pace et prosperitate (6—11). De gentibus vero hae, quae contra Ierusalem bella gerent, plagis gravissimis plectentur, et si omnes gentes castra adversus urbem sanctam moverent, peribunt insimul cum toto comiteo et exercitu (12—15). Deinde narrat, quid accadat eis, qui ad urbem sanctam properant, ut Deum Regem adorent et festis eius sanctis adesse cupiant. Singula oracula incipiunt verbo *wehaja* 14, 16, 17, 21. *Wehaja* pericopae de monte Dei fulgenti adiungi poterit versui 21, ita ut

oraculum Is 1, 1—4 esset quasi conclusio et corona verbi prophetici Zachariae.

Sed in Zacharia propheta non Lex et Verbum Dei sunt subiectum agens, sed ipse Dominus; etiam stilus est omnino diversus, metrum aliud et, quod est praecipuum Zacharias, expresse dicit, gentes non ex animo suo et ex bona voluntate, sed minis coactas et perterritas ad Ierusalem properare. Hic autem ex sua propria voluntate id faciunt. Nullibi in Zacharia annuitur populos motu proprio, allectas splendore montis et templi Dei et auctoritate Verbi et Regis Domini in urbem sanctam pergere. In Zacharia illud ipsum templum materiale et historicum describitur cum cultu et apparatu sacro, cum festis et sacrificiis, hic vero templum illud est aliquod spirituale, supernaturale, non cultus nec festa, sed Lex et Verbum Dei attrahunt multos. Gentes in Ierusalem pergunt ad cognoscendum Verbum Dei et illius auctoritate persuasae pacem ineunt, quo fit, ut bella cessent et pax, prosperitas et securitas in terris esse incipiant, nemo audeat ingerere bella, magnae enim et remotissimae gentes Verbo Dei auspice et arbitro vinculis amicitiae uniuntur. Igitur patet aliud quid omnino inesse verbis prophetiae de monte et templo Dei quam oraculis Zachariae, qui videt gentes inimicas populi Israelitici minis perterritas et plagis pessimis coactas una cum Israelitis Ierosolimis in templo Dei congregatas et participes cultus templi et eius festorum. Zacharias semper in mente habet futuram restaurationem sanctae civitatis, templi atque cultus, quo gentes inimicae etsi coactae participant. Propheta vero auctor pericopae videt nationes multas et quidem fortissimas ad montem et domum Dei peregrinantes, ut ibi edoceantur de lege et Verbo Dei. Ex Zacharia sequitur, quod oraculum Is 2, 2—4 locum aptum habeat in fine alicuius libri eschatologici ut eius conclusio. Estne talis liber in Scriptura, qui fine careret et a quo illa pericopa excideret?

Inter libros propheticos Scripturae Sacrae existit liber symbolicus et eschatologicus, qui caret revera apta conclusione, etsi est optime dispositus. Liber Joel est symbolicus et eschatologicus; constat duobus partibus quamoptime dispositis: parte prima 1, 1—2, 27 describitur plaga terribilis locustarum et aestus; similes visiones quam brevissime conscriptas habet Amos propheta (7, 1—6). Visiones Amos erant comminatoriae, per intercessionem

prophetae plagae effectu suo caruerunt, dum in visione Joelis re- vera clades illa magna affecit Iudaeam et incolas eius ita, ut sacrificia ob defectum oblationum et hostiarum cessarint in templo Dei. Sed Deus precibus et ieiuniis populi permotus, iterum populo suo benedixit et dedit frumentum et vinum et oleum, agri graminibus floruerunt, arbores fructiferae et vineae et ficus fructus optimos produxerunt. Ex multis indiciis, quae habentur in visione Joelis, sequi videtur locustarum exercitum esse symbolum et typum invasionis hostilis in terram Israel, ad instar invasionis descriptae in Libro Apocalypsis (Apocal 9, 2—11). Sunt aliqua momenta in Joele, quae ansam praebent symbolicae interpretationis (Ioel 2, 17, 19, 20, 21). Hoc sensu intelligi possunt versus 1, 6; 2, 4—5, 7—9, ubi est sermo de gente fortissima et innumerabili *goi 'a'çum we'en mispar 1, 6* vel *'am rab we 'a'çum*.

Pars secunda symbolicae interpretationis multa praebet argumenta. In secunda parte propheta annuntiat effusionem Spiritus Sancti in omnes, in filios et filias, iuvenes et senes, servos et ancillas (3, 1—2) et post illam epocham Spiritus Sancti incipit nova series plagarum: obtenebratio solis et lunae, signum diei Domini magni et terribilis, quo solum illi, qui Dominum confitentur et sub umbra montis Sion sedent, salutem et securitatem assequuntur (3, 3—5). Antequam ea, quae immediate diem iudicii praecedent, narrabuntur, admonentur inimici Israel: Tyrus, Sidon et regiones Philistinorum, ut eorum meminerint, quae adversus populum Iuda et Ierusalem peccavissent. In postrema visione narratur bellum immane, ultimum certamen inter gentes et populum Israel (Ioel 4, 9—21):

- 4, 9. Praedicate haec in gentibus:
 Indice bellum sacrum,
 Surgite viri fortissimi!
 Procedant, ascendant omnes belli periti!

10. Concidite aratra vestra in gladios,
 et vomeres vestros in lanceas!
 Qui infirmus est, dicat:
 vir fortis sum ego!

11. Consurgite et venite omnes gentes
 ex circuitu et congregamini ibi,

Qui sunt mitissimi,
fiant bellatores! ¹⁾)

12. Surgite et ascendite gentes
in vallem Jehosaphat!
Ibi enim sedebo, ut iudicem
omnes gentes ex circuitu.
13. Mittite falces,
matura est enim messis;
venite, torcolate,
plenum est enim torcular,
exuberant torcularia,
magna est enim malitia eorum!
14. Turbae, turbae sunt
in valle decisionis,
prope est enim dies Domini
in valle decisionis!
15. Sol et luna nigri sunt facti,
et stellae retraxerunt suum splendorem,
16. cum Dominus de Sion rugierit,
et de Ierusalem vocem suam dederit!
et coeli et terra commoti sunt,
cum Dominus sit refugium populi sui
et fortitudo filiorum Israel.
17. Scietis itaque, quod ego sum Dominus, Deus vester,
sedens in Sion, monte meo sancto,
Et Ierusalem facta est sanctum,
et barbari non transibunt per eam amplius!
18. Et erit in die illa:
stillabunt montes dulcissimum,
et colles fluent lacte,
et omnes rivi Iuda abundabunt aquis!

¹⁾ Quae in versu 4, 11 sunt delineata, sunt correctae ex textu graeco Septuaginta.

- Et egredietur fons de domo Domini,
et irrigabit torrentem Sittim!
19. Aegyptus in desolatione erit,
Et Edom in desertum desolationis;
eo quod violenti fuerant in filios Iuda
quorum sanguinem innocentem in terram effuderint!
20. Sed Iudaea in aeternum habitabitur,
et Ierusalem in generationem et generationem,
21. Et vindicabo sanguinem eorum, quem non vindicavi,
Et Dominus habitabit in Sion!

Splendidissima haec visio tribus imaginibus constat. Cum iam Dominus vindicaverit plebem suam et eam ex universi orbis partibus, ubi erant traditi et venditi, ab hostibus redemerit et populo suo concesserit, quod filios inimicorum suorum Sabaeis, genti remotissimae — *goi rahoq*, tradiderint, haec eveniunt (4, 6—8).

Imago prima (9—12): Dominus iubet indicere bellum sacrum et convocare viros fortissimos, qui instrumenta laboris pacifici in gladios et lanceas concidant et undique in vallem Iosaphat proficiscantur, ubi sententiam ob malitiam perpetratae recipiant.

In imagine secunda (13—16) vidit propheta aliquos, qui Domini iussu falces ad messem maturam mittunt et torcularia iam plena esse et exuberantia peccatis multorum annuntiant. Videt etiam turbas innumeras in valle, ubi sententia vindicativa pronuntiari debet, congregatas, videt etiam sol et lunam et stellas obtenebratas et Domini vocem ut tornitrua rugientia sonantem audit, quo fit ut coeli et terra commoveantur, populus vero Domini et Ierusalem in Domini auxilio et providentia confidit. Sequitur imago tertia: attenditur descriptio poenae in hostes, sed quid aliud evenit. In imagine tertia (v. 17—21) enarrat propheta ea, quae audivit a Domino et quae vidit:

Dominum Deum esse populi sui, ipsum in Sion sedem suam habere et Ierusalem esse Dei sanctuarium, in quod nullus barbarus ingredi queat, Deum promittere ubertatem et abundantiam aquarum in terra sua et etiam pro tempore futuro fontem domo Dei egredientem et irrigantem torrentem spinarum, Aegyptum vero et Idumaeam, qui sunt typi hostium, nam antea de Tyro, Sidone et

Philistaeis sermo erat, fore desertum et desolationem. Iudaea haec a Domino recepit promissa: terra eius incolis habitabitur in aeternum, sed vindictiae sanguinis filiorum eius pro futuro tempore annuntiantur, dum Dominus semper in Sion habitare dicitur. Ergo sententia in hostes non est executioni mandata, solummodo annuntiata et pro futuro tempore prolata. Aliquid excidit in fine huius splendissimae prophetiae. Hostes non sunt profligati, solummodo perterriti; sententia, uti definitiva annuntiata, relata est in futurum aliquod tempus. Nescitur, cur ita factum sit. Si vero intimius inspicitur textus prophetiae de monte Dei, circumcirca fulgente, apparet, cur sententia contra hostes proferenda fuerit dilata. Ideo, quod nationes illae ad proeliandum paratae, perterritae iis omnibus, quae vident: et solem et lunam et stellas obtenebrescentes et tornitrua et voces de coelo sonantes ac praecipue fulgentem domum Dei in monte Domini, obstupescunt et conversae statuunt in montem illum proficisci eos necesse esse et legibus et moribus, quae in Sion docentur, oboedire paratos esse. Si verbum *wenaharu*, analogice ad Is 60, 5 et Ps 34, 6 interpretetur: „et irradiabunt prae gaudio ex fulgore montis domus Dei et multae gentes dicent“, tunc illico patet Deum et gentibus propitium esse eo, quod gladios in vomeres et lanceas in falces coniderint. Propterea et ipsis promittitur, quod dicit Mich 4, 4:

Et sedebunt unusquisque sub vinea sua
et sub ficu suo, quin eos quis terreat
ita os Domini Exercituum est locutum!

Haec verba propria analogica sunt iis, quae Ioel minans et consolans 1, 7, 10, 11, 12, 17, 18, 19, 20; 2, 3, 5, 19, 22, 23, 24, 26—27; 4, 18 praedicat. In omnibus his locis florentes agri, vineae, horti arborum frugiferum sunt signa Dei providentiae et gratiae, illorumque absentia vero est signum Dei irascentis et punientis. Gentes, de quibus eisdem verbis est sermo in Ioele ac in Mich 4, 1 3 cf. Ioel 1, 6; 2, 2 *am rab we'açum* 2, 1 7 19; 4, 9 11 12, versu 4, 8 *goi rahoq* (cf. Mich 4, 3) vocantur Sabaei. Ergo si omnia recte considerantur, prophetia de pace ineunda, Verbo Dei auspice et arbitro, quam maxime convenit iis, quae dicuntur in libro Ioelis, et certe etiam idem est stilus, eadem forma poetica, nam visio illa Ioelis (4, 9—21) constat tribus partibus fere aequalibus, unaquaque pars habet 17 stichos et visio eschatologica si excipitur stichus primus et ultimus „ita os Domini locutum est“,

qui videtur applicandus esse toti libro, etiam 17 vel 18 stichos habet. Et quod praecipuum est, visio magna loelis tum demum — supposito, quod Mich 4, 1—4 et Is 2, 2—4 primario et originaliter in fine libri loel ponebatur — fit quoad sensum et structuram logicam et rationes formales clara. Ideo non est mirum, quod iam Knabenbauer concedit, opinionem a Hitzig, Cheyne, Budde et aliis propositam Mich 4, 1—4 esse finalem loelis non esse spernendam. Knabenbauer in commentario in Isaiam expressis verbis affirmat: „Cum Is 2, 2—4 subito et immediate incipiat... haud immerito supponendum erit oraculum afferri iam notum et saepius populo propositum... in Michaea 4, 1—3... invenitur non abrupte positum, sed innexum intime cum antecedentibus“. Proinde concludit Knabenbauer: „Cum igitur vaticinium suo loco et quasi propria sede apud Michaeam reperiatur, satis certum esse videtur illud non per Michaeam ab Isaia desumptum esse, verum potius Isaiam illud a Michaea accepisse“. Knabenbauer vero non negat locum prophetae etiam in fine libri loel aptum inveniri (Commentarius in Isaiam, 1887, pag. 58—59). Duhm (Jesaia-Buch, 1914 pag. 14—16) Isaiam hunc locum attribuit similiter ac Is 10, 1—8; 32, 1—5; 32, 15—20, quae sunt secundum Duhm parallela et quae certe proprii sunt Isaiam sermones; sed nullus reapse nexus inter has pericopas et Is 2, 2—4 habetur tum quoad argumentum tum quoad sensum et formam litterariam.

Sed certe verum est, quod dicit Duhm ea, quae contra authenticitatem anteexilicam huius pericopae ex eius significatione eschatologica proferuntur, ut probetur locum illum qua eschatologicum ad epocham hellenicam esse transponendum, non sunt tanti momenti, ut ex hac ratione haec pericopa Isaiam vel Michaeae esset abiudicanda. Sellin (Das Zwölfprophetenbuch 1929) in sua commentatione Mich 4, 1—5 (pag. 327—330) paucis verbis hanc quaestionem absolvit, attribuendo illam pericopen Isaiam prophetae et impugnat acriter commentationem Budde, quam habuit in congressu orientalistico Hamburgi habito et in Commentario Zeitschrift der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft anno 1927 vol. VI pag. 152—158 publicato et iterum in eius commentario: Isaiam 1—5 (Zeitschrift f. d. Alttestamentliche Wissenschaft 1931, pag. 182—188) reassumpto. Sellin videt contradictionem inter Is 2, 2—4 et loel 4, 12—17 inter vv. 4, 10 et Is 2, 4. Quomodo autem re vera res se habeat, iam demonstravimus, ubi est probatum visionem loel

abstrahendo a Mich 4, 1—4 et Is 2, 2—4 non esse satis claram et intelligibilem. Proinde ea, quae Sellin habet (l. c. pag. 157) nihil, probant contra originem loelianam pericopae de monte et templo fulgente. Non est certum, quo tempore prophetia loel sit orta. Haec quaestio de tempore originis hic non agitur, sed solum id, num reapse libro loelis sit inserenda. Budde nulla quidem dedit argumenta specialia ad probandam authenticam loelianam huius pericopae, quae autem citat, sunt tam generalia, ut non sit mirum, quod ea esse spernenda a Sellin affirmatur. Sed professori Sellin similiter ac Feldmann (*Das Buch Isaias* 1925, pag. 28—29) non magna cura est, ut argumentis bene perpensis thesim de Isaiana origine huius prophetiae demonstret.

Statui igitur argumentis assumptis non ex criteriis mere intrinsicis, sed ex critica litteraria et historica demonstrare nullum in Scriptura inveniri aptiorem locum, in quo inseratur haec pericopa, quae certe non est aliquid in se totum, sed est pars abrupta ex aliquo longiore sermone prophetico.

Paucis adhuc mihi dicere liceat, quomodo sit factum, ut pars illa loelis iniuria temporum sit seiuncta a libro, cuius erat pars integra. Iam circa annum 180 ante Chr. natum temporibus Ben Sirach 49, 12 libri 12 prophetarum in unum erant iuncti rotulum. Tempore vero antecedente, ut supponere licet, libri 12 prophetarum non erant iuncti, sed separatim cursitabant. Certum signum est id, quod in collectionibus canonicis non eodem ordine sunt dispositi. In canone enim massoretico libri sex primi: Oseas, loel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas alio ordine habentur ac in collectione Septuaginta Interpretum, ubi invenitur dispositio: Oseas, Amos, Michaeas, loel, Abdias, Jonas. Certe dispositionis illius ratio erat ordo chronologicus, quo putabuntur esse conscripti; nam sex ultimi prophetae in utraque collectione eodem et quidem ordine chronologico disponuntur. Libri loel, Abdias, Ionas aliter ordinantur in collectione massoretica, aliter in graeca; ideo quia in earum titulis nullum nomen regis Israelitici quorum tempore vixerint, invenitur, scripta eorum simul sunt iuncta; Oseae ob versum 1, 2 quo legitur: „initium loquendi Domini in Osee fuit“, occupavit locum primum ante Amos, qui reapse prior tempore Qsee fuit. Michaeas autem in LXX tertium locum occupat, nam re vera fuit posterior tempore quam Amos et Osee. In textu massoretico inter Osee et Amos ponitur loel, probabiliter ideo, quod versus 4, 16 prophetiae

uti *motto* poni videbatur in initio Amos (1, 2). Cum Amos 1, 2 legatur immediate post titulum: „et dixit: Dominus de Sion rugiet et de Ierusalem dabit vocem suam“, facile conici potuit, ideo ita factum esse quod verbum hoc non sit proprium Amos, cuius sermones inducuntur formula alia, nempe: haec dicit Dominus (cf. Am 1, 5 6 9 11 13; 2, 1 4 6). Proinde Ioel, in cuius titulo dicitur simpliciter „verbum Domini quod factum est ad Ioel“; sine ulla mentione temporis quo vixerit, considerabatur esse prior tempore quam Amos, qui aliqua ex eius prophetia ad sua verba adiungere bonum esse putavit.

Abdias autem et Ionas immediate post Amos sunt positi, cum Abdiae prophetia sit quasi expletio eorum, quae antea a Ioel 4, 19 sunt praenuntiata. Ionas autem secundum 2 Reg 14, 25 tempore Ieroboam vivere putabatur, ergo erat prior tempore quam Michaeas. Proinde censebant collectores librorum hebraicorum Ionam vixisse tempore medio inter Amos et Michaeam. In collectione graeca prophetae Ioel, Abdias, Ionas eodem ordine ac sunt in hebraica, sed post Osee, Amos, Michaeas inveniuntur; nam illorum ordo chronologicus non videbatur tam certus, quam horum trium, in quorum titulis introductoriiis tempus, quo prophetabant, expressis verbis assignatum est. Ex his autem sequitur adhuc: tempore, quo Graeca Versio sit orta, non eodem ordine libri duodecim prophetarum disponebantur. Quo ordine eos legebat Ben Sirach non patet, nam non sunt enumerata singula nomina eorum. Ex palaeographia antiqua, cuius exempla multa praebent papyri Aegypti patet libros saeculis ante Christum in chartulis papyraceis esse conscriptos, quae chartulae, ut refert Ieremias (36, 2, 6, 10, 13, 14, 18, 20, 21, 23; cf. Luc. 4, 17, 20) in rotulis involvebantur. Qua re facile fieri potuit, quod chartulae, praecipue eae, quae in fine libri erant, seiungi poterant ab aliis. Rotuli singulorum librorum simul in cista condebantur, quo melius conservarentur. Si vero evenit, ut chartula separaretur a corpore libri tum non poterat accidere, quod non cognosceretur cuinam libro seu rotulo esset adiungenda.

Ita fortasse factum est in hoc casu. Chartula abscissa a suo rotulo ab aliis meliore quo potuit modo iniuncta est libro Michaeae post prophetiam de urbe sancta in tumulum ruinarum et de colle domus Dei in silvestria arbusta mutandis (Mich 3, 12) et ante illam de urbe Ierusalem vastanda (Mich 4, 6—14), versus Mich 4, 5 probabiliter est admonitio data a revisore libri: „si alii suos deos

sequuntur, nos Deum nostrum sequamur“, similis illi, quam dedit Ieremias (2, 10—13).

Versus Mich 4, 5 manifeste demonstrat, quod pericopa, quae destruit nexum inter Mich 3, 12 et 4, 6 et sequentia, est aliquid alienum a contextu. Alius autem revisor et quidem probabiliter tempore posteriore iunxit hanc pericopam cum Isaia 2, 6—4, 6, recensio enim Isaiana est corruptior a recensione Michaeae. Si comparatur analogica visio Isaiana in 4, 2—6, videtur clare, quam diversus sit modus loquendi Isaiae et fortasse etiam pericopa Is 4, 2—6, quae est quaedam consolatio data per prophetam discipulis, post illas comminatorias prophetias 2, 6—4, 2 et 5, 1—24, 10, 1—4, causa fuit, cūr sermones comminatorii antecedentes Is 1, 2—31 leniri debuerint per illam visionem de monte et domus Dei valde consolatoriam. Quicumque attente Isaiam legerit, facile cognoscere poterit, quam diversae sunt visiones eschatologicae Isaiae a stilo et modo loquendi huius pericopae.

Si inspicitur textus Scripturae Sacrae, apparet, quod etiam aliis in locis Scripturae Sacrae simile quid reperitur. In collectionibus psalmodum ps 13 (14) collectionis Jahvisticae repetitur in ps 52 (53) collectionis Elohisticae. Etiam in collectionibus Proverbiorum, quae erant collectae semel et iterum (Prov 25, 1) per posteriores Salomonis, singulae parabolae repetuntur. In Scriptura Sacra (II Macch. 2, 13—15) legitur: tempore Nehemiae et tempore Iudae Maccabaei libri sacri, qui erant dispersi, in unum congregabantur. Semel et iterum iniquitate temporum exilii babilonici et persecutionis Antiochi Epiphanis evenit, quod libri sacri deperditi et ab hostibus dispersi restituendi erant. Ieremias (20, 18), uti a multis affirmatur (Sellin, Das Zwölfprophetenbuch, pag. 147), innuit: tempore Ieremiae adhuc deficiebat in libro Michaeae prophetae pericopa illa (Mich 4, 1—6). Versus Michaeae 4, 6 videtur esse admonitio Nehemiae, ut Israelitae sint fideles servi Dei sui, qui versus non congruit neque cum Mich 4, 1—5 neque cum eis, quae sequuntur.

Similiter Is 2, 5 qui non congruit cūm eis, quae inveniuntur in Is 2, 2—4, ubi certe Israelitae supponuntur fideles auditores verbi Dei, si multae nationes quaerunt aliquid de lege et verbo Dei cognoscere, ut possint sequi vias, quas Sion sequitur. Versus Is 2, 5 est admonitio supponens domum Iacob non prosequi lumen, quod de domo Dei elucet; verba: „Domus Iacob ite, ambu-

lemus in lumine Domini“ certe pro supposito habent domum Iacob, uti re vera factum est tempore Maccabaeorum, quo maioritas nationis tam facile a viis Domini defecerat, necesse habebat, ut admoneatur ad sequendum lumen, quod lucet de domo Dei (I Macc 1, 12—16). Verba illa, si attente legantur ea, quae Isaias habet 2, 6—4, 1, non sunt in ulla relatione neque cum praecedentibus neque cum sequentibus. Addendum etiam est illud Is 2, 5 est nil aliud quam repetitio eorum, quae legimus Is 2, 3. Proinde Is 2, 5 similiter ut Mich 4, 5 sunt quaedam reflexiones piae, additae a revisoribus, qui visionem illam discerptam e suo loco in sacras collectiones introduxerunt; quod ut innuit 2 Macc 2, 13—15, certe non ab uno et eodem collectore factum est, sed a diversis canonis Scripturae sacrae restitutoribus. Quod revera versus Mich 4, 4 originaliter erat in fine prophetiae de gentibus, patet ex 3. Reg 4, 25 (secundum Vulgatam) et etiam ex 1 Macc 14, 12, ubi sermo de regnis Salomonis et Simonis Magni Sacerdotis, qui typi considerabantur Regis Messiae. Auctor libri Maccabaeorum item ac auctor libri Regum cum descripsisset ea, quae fecerat Simon (I Macc 14, 4—15), ita suam relationem concludit: „Fecit pacem super terram et laetatus est Israel laetitia magna, et sedit unusquisque sub vite sua et sub ficulnea sua, et non erat qui eos terreret“ (I Macc 14); hoc est ad verbum repetitum ex Mich 4, 5. Et si comparentur ea, quae antea dixit I Macc 14, 8, cum eis, quae legimus in Ioele 2, 21—27, probabiliter affirmari potest, quod auctor Maccabaeorum Ioelem in primis in mente habuit, quando gloriificabat Simonem, quem putabat esse typum Messiae. Ergo sunt in Libris sacris V. T. loci aliqui (ut Jer 26, 18 et I Maccab 14, 8—12), ex quibus apparet Michaeam adhuc tempore Jeremiae destitutum fuisse pericopa de monte et templo Dei et adhuc tempore Maccabaeorum Ioelem propheta in primis prae oculis ab auctore I Maccabaeorum habebatur, quando describebat regnum et opera Simonis Magni Sacerdotis et Principis Iudaeorum.

Pericopa nostra a Patribus semper interpretabatur de Ecclesia Christi eiusque missione pacifica; Ecclesia non cessat monere populos, ut desistant a munitionibus et praeparationibus bellicis, sed ut omnia pacifice ordinare studeant oboediendo Christo praecipienti, ut omnes unum sint, nam veritas est, quae liberabit omnes.

Ex his, quae exposita sunt, clare patet: in ipso textu Scripturae sacrae multa inveniuntur, ex quibus non solum cognosci

potest historia diversarum recensionum, quae decursu saeculorum post exilium babylonicum imprimis exortae sunt, sed etiam, quomodo formatae sint diversae collectiones Librorum Sacrorum. Ea, quae secundus liber Maccabaeorum refert de duobus saltem collectionibus Scripturae Sacrae tempore Nehemiae et Maccabaeorum factis, illustrantur multis exemplis Scripturae Sacrae uti duobus collectionibus psalmodum Davidicorum, Proverbiorum Salomonis et Sapientium. Comparatio textus Graeci cum Hebraico demonstrat adhuc clarius ita etiam rem se habere cum duplicibus saltem revisionibus librorum Iudicum, Samuelis, Jeremiae et aliorum librorum Scripturae Sacrae. Propheta, auctor nostrae pericopae, pacem inter populos attribuit auctoritati Verbi Divini et Legis, scilicet Doctrinae in Scriptura revelatae, et affirmat pacem illam et concordiam non fore absolutam in terris, nam etsi multi fortissimi et in remotissimis partibus mundi siti tempore messianico post magnas calamitates et plagas receptas inibunt foedus sacrum, quo agnoscendo Deum, Dominum et Regem, ea quae bello inserviunt in instrumenta pacis et prosperitatis convertant, non omnes vero populi hic in terris huic foederi accedent. Pericopa de monte Di saepius lecta et relecta erat, ut patet ex multis variantibus, qui in diversis eius recensionibus habentur. A Ioele per infortunium temporis arrepta est, sed vis et valor huius oraculi semper agnoscebatur, cum vero nomen eius auctoris oblivioni datum fuerat, tum attributa est maxime de annuntiando regno messianico meritis prophetis Isaiae et Michaeae. Nemo suspicari potuit eius auctorem fuisse Ioelem, qui minime notus est in historia revelationis, cum neque sciebatur, quo tempore vixerit. Insuper Prophetia Ioelem capite primo et aliquibus versibus capitis secundi exceptis non constat sermonibus populo prolatis, sed est liber scriptus, qui a legentibus solum cognosci potuit.

Varsaviae

W. Michalski.
